Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ADRONA

esse prudentes apud uosmet ipos. nulli malum pro malo reddentes. prouidentes bona non tantum coram deo sed etiam coram omnibus hominibus pacem habentes. non uosmet ipos defendentes karissimi sed date locum ire. Scriptum est enim. mihi uindictam et ego retribuam dicit dominus. sed si esurierit inimicus tuus ciba illum. Si sitit potum da illi. Hoc enim facientes carbones ignis congreges super caput eius. Noli uinci a malo sed uince in bono malum. XIII

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a deo. Que autem sunt a deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipi sibi dampnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori bono operis sed malis. Vis autem non timere potestatem fac bonum et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malefecis time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est ultor in iram ei qui male agit. Ideoque necessitati subditi estote. Non solum propter iram sed et propter conscientiam. Ideoque enim et tributa prestatis. Ministri enim sunt dei in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita. cui tributum tributum. cui uectigal uectigal. cui honorem honorem. cui timorem timorem. Nemini quidque

debeatis nisi ut inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum legem implebit. Nam non adulterabis. non occides. non furaberis. non falsum testimonium dices. non concupiscies rem proximi tui. Et si quod est aliud mandatum in hoc uerbo instauratur. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Et hoc scientes quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus. Nox precessit. dies autem appropinquauit. abiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis sicut in die honeste ambulemus. Non in comessationibus et ebrietatibus. non in cubilibus et impudicitiis. non in contentione et emulatione. sed induimini dominum iesum christum. et carnis curam et concupiscentiam ne feceris in desideriis uestris. XIIII

Infirmum autem in fide assumite. non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia. Qui autem infirmus est olus manducet. Is qui manducat non manducantem non spernat. Et qui non manducat manducantem non iudicet. Deus enim assumpsit illum. Tu qui es qui iudicas alienum seruum. Suo domino stat aut cadit. Stabit autem. Potens est enim deus iterum statuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem. Alius iudicat omnem diem. unusquisque in suo sensu habundet. Qui sapit die dno